



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Salutatio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

PIETAS. CAP. XVI.

A Antonini numo pietas ipsa dexteram exporrigit expansam, læva donarium in subjectam aram porrigit. In L. Aëlii Cæsaris numo aureo, dextera sigilli eodem est gestu, læva donum tenet, cum inscriptione, PIETAS. Quod vero dictum est in Cynocephalo, passas in cœlum manus adorationem significare, videas id in Gordiani Pii numo, in quo sigillum est, passas hinc inde manus ad cœlum attolens, cujus inscriptio est, PIETAS. Aug. Et Jarbas apud Maronem dicitur:

Multa Jovem manibus supplex orasse supinis.

Jam & Salomon Trecentis, non ignobilis S. Scripturæ commentator, sacerdotem, inquit, cum Sanctum BENEDICTUM pronunciant, nomen inquam id Sanctum XII literarum extendunt manus suas.

SUPPLEX, CAP. XVII.

A Pud nationes aliquot invenias, rejectas post tergum manus, eas connexas, supplicem hominem significare.

B Eam formam in hujusmodi significato peculiarem apud Assyrios fuisse tradit Ammianus, ubi libro XVII. Antonius ab Ursicino agnitus in hostili acie, objurgatorio sono vocis increpitus, Proditor & nefarius appellatus, sublata tiara, quam capiti summo ferebat honoris insigne, desiliit Equo, curvatisque membris humum vultu pene contingens, eum salutavit, Patronum appellans & dominium, manus post tergum connectens, *ignose mihi*, inquit: & que pro criminis depulsiōne subsequuntur.



*Rejecta in
tergum
manus.*

CAPTIVITAS. CAP. XVIII.

S Edenim apud Romanos hujusmodi species manuum post terga revinctarum, captivitatis nimirum indicia sunt, quod & Virgiliano confirmatur carmine:

Ecce manus juvenem interea post terga revinctum

Pastores magno ad regem clamore truhebant,

C & multis ubique terrarum monumentis, ex ære & marmore dedicatis, passim intueri licet. Ita lib. de Amicitia Cic. de eo, qui litigare se simulans blandiatur, atque ad extremum dat manus, vincique se patitur, ut is, qui illusus sit, plus vicisse videatur. Talem Astronomi figurare solent, ubi ostendere volunt eum ab inimicis superandum, & in eorum potestatem redigendum, qui XII. Sagittarii gradu lucem auspiciatus fuerit.

PACIFICATOR. CAP. XIX.

Quæ vero species in M. Catonis Proprætoris numo cernitur, ubi victoria est sedens, manu exporrecta, pollice summissa, quod puto victoriam consilio partam significare, ut illud, quod a libi explicatum est, Romanos sedendo vicisse, huc accommodetur. Ille porro gestus in manu res compositas ostendit, qui habitus in statuis pacificatorum exprimi solet, ut in equestri collosa ex ære M. Aurelius, in area Lateranensis basilicæ visitur, de qua in Digitis.

RESTITUTOR. CAP. XX.

D In alio Imp. SEV. ALEXANDRI AUG. numo simulacrum est læva hastæ innixum, dexteram porrigens, vola & digitis demissis, pollice pendente, in quo literas eas tantum inspexi, quæ RE-numus & S T I T U T O R dicerent, reliquas discernere non potui. Verum apertius in Gratiani numo porrigitur manus mulieri altero genuflexæ genu, cum inscriptione, REPARATIO REIPUBL.

SALUTATIO. CAP. XXI.

E Rat & salutationis indicium, dextera juncta dextræ, quod apud Varronem, atque etiam apud Callimachum ætatis habetur. Unde Virgilius in eandem sententiam Æneam inducit cum patre in Elysiis loquentem ita queri: *Cur dextera jungere dextram non datur.* In hunc sane diem mos hic perdurat, ut hospites & peregrinos, & quoscumque notos peregre venientes, dexterarum conjunctione salutemus.